

• et Vincentio Sabatino ducalibus secretariis, testibus ad praemissa
• vocatis, notis et specialiter rogatis.

• Ego Joannes Baptista de Andrianis q. Aloysii, supradicto
• sindacatui cum omnibus et singulis capitulis, obligationibus et
• conditionibus interfui et rogatus scripsi et stipulavi die et mille-
• simo suprascriptis, hora vigesimaquarta. Verum aliis occupatus
• negotiis, aliena manu scribi feci et in omnibus praecise concor-
• dare inveni. Ideo in praemissorum omnium fidem me subscripsi,
• signumque meum apposui consuetum et ad majus robur praedictus
• illustriss. dominus solito suo plumbeo sigillo muniri mandavit. •

• Die XXIII februarii M. D. X. constituti personaliter coram
• S. D. N. d. Julio divina providentia papa secundo, et sacro reve-
• rendissimorum dominorum S. R. E. cardinalium collegio, ad-
• stante etiam ibidem reverendissimo d. Raphaële episcopo Por-
• tuensi, camerario D. N. papae, ac reverendis patribus dominis
• vicecamerario, clericis et praesidentibus camerae apostolicae,
• nec non dominis Justino de Carosiis avvocato et Mariano de
• Cucinis procuratore fiscalibus, ac magna parte praelatorum alio-
• rumque romanae curiae officialium, supradicti domini oratores
• syndici et procuratores requisiti et interpellati per dictum domi-
• num Marianum de Cucinis fisci procuratorem super observatione
• suprascriptorum mandatorum et capitulorum in illis contento-
• rum, promiserunt omnia et singula suprascripta se, ducem, ro-
• gatos, consiliarios, cives et dominium civitatis Venetiarum, in-
• violabiliter observaturos ac paratos esse obtemperare mandatis
• ejusdem S. D. N. et sedis apostolicae, subjiciendo se ac ducem,
• rogatos, consiliarios ac cives et dominium praefatos jurisdictioni
• S. D. N. papae et dicti camerarii, vicecamerarii, auditoris et
• aliarum ejus curiarum juxta formam et tenorem dictorum man-
• datorum : et ita ad sancta Dei evangelia, sacrosanctis scripturis
• corporaliter manu tactis, ante pedes S. D. N. papae antedicti
• juraverunt et renuntiaverunt et alia fecerunt et se facturos